



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelia Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

§. 7. Politia.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

§. 6. Religio.

VERÆ Religioni olim addic̄tissimi fuere Germani, & qui huic adh̄erent eam constantissimè profitentur: vulgò tamen Religionem potiùs Principis, quām suam sequuntur. Primum ab Hussitis, Taboritis, & Picardis vexata est, sed superiori sēculo longè funestiùs per Martinum Lutherum Apostatam Monachum, quem superbia, & libido ab Ecclesiâ diuulsi. Sæuit & eodem tempore inter Heluetios Zwinglius factioñis quoque suæ caput, qui etiam cum Lutherò exercuit inimicitias. At quot mala hinc exorta sunt? quot hærefes ex Lutheranâ hydrâ pullularunt? legatur Florimundus Ræmundus in hæresi nascente: vbi etiam obseruat Lutherum ipsum miratum esse prolem suam, & pesti cuius auctor ipse fuerat remediū frustrà quæsiuisse. Nunc in plerisque locis principis tantum viger Religio. Lutherani etiam Ecclesiis præficiuntur, vt Archiepiscopatibus Magdeburgensi, & Bremensi, Episcopatibus Halberstadiensi, Verdensi, & aliis. Per Societatem nostram potissimum vera Religio stetit, cuius primipilus olim Petrus Canisius vir spectatæ iuxta doctrinæ, ac pietatis.

§. 7. Politia.

SUPREMVM caput habet Imperatorem Augustum, aliquando Imperij candidatū Cæsarem uno tantum gradu ab Imperio disiunctum. Exortum est Imperium hoc in Carolo Magno, mox in stirpe Gallicâ seruatum usque ad Conradum primum, ex quo cœpit cligi à proceribus Imperij, donec sub Othonē III. aut ut alij maijunt post Fridericum secundum, ius suffragij ad septem Electores contractum est. Locus electionis olim incertus erat; nam Otho I. Aquisgrani; 2. Vormatiæ; 3. Romæ selectus fuerat, postea addic̄tus fuit Francofurti ad Moenum per Bullam Auream quam Carolus IV. emisit in Comitiis Norimbergensibus. Selectus Imperator coronabatur olim Aquisgrani ab Archiepiscopo Coloniensi coronâ ferreâ, cuius loco nunc substituta est aurea cum lamina ferrea inserta, quæ asseruatur ibidem Aquisgrani. Gladius verò erbis, & paludamentum visuntur Norimbergæ, vnde hæc anti-

quitus accipiebant, sed nunc hæc omnia deferuntur Francofuru-  
rum. Dicunt & olim Imperatorem recepisse præterea duas alias  
coronas, argenteam Mediolani in Ecclesiâ S. Ambrosij, aut certè  
in vrbe vicinâ Monzâ in Basilicâ S. Ioan. Baptistæ, auream demum  
Romæ apud S. Petrum.

§. 8. *Electores Imperij.*

|  |   |
|--|---|
| ECCLE-<br>SIASTI-<br>CI.                       | MOGVNTINVS Archiepiscopus <i>Cancellarius Germanie</i> , & Decanus Collegij Electorum; intra men-<br>sem Comitia vocat, suffragia legit, primusque iurat,<br>moxque aliorum iuramentum recipit.   |
|  | TREVIRENSIS Archiepif. <i>Gallie Cancellarius</i> ; secundum Bullam auream dare debet i. suffragium, sed<br>id abrogatum est lapsu temporis.  |
|  | COLONIENSIS Archiepif. <i>Cancellarius Italie</i> , cor-<br>onam imponit Imperatori.  |
| LAICI,   | REX BOHÆMIÆ à poculis <i>l'Eschançon</i> ; in actibus<br>Imperialibus omnes Reges præcedit, etiam Impera-<br>tricem, tamen Comitiis Imperij non interest.   |
| seu<br>SÆC V-                                  | COMES PALATINVS RHENI Archidapifer <i>le Ma-<br/>stre d'Hostel</i> . Imperatore mortuo, est Vicarius Imperij in Sueviâ, & Franconiâ; vbi leges Franciæ<br>Orientalis sunt in vsu, nominat ad Beneficia: imò &<br>citat coram se viuum Imperatorem, cùm quis con-<br>tendit cum eodem. |
| LARES.   | ELECTOR SAXONIÆ, Mareschallus Imperij, Vi-<br>carius Imperatoris mortui, vbi leges Saxonicae sunt<br>in vsu.  |
| VICARII<br>ELECTO-<br>RVM<br>SÆC V-<br>LARIUM. | MARCHIO BRANDEBVRGICVS, Cubicularius Imperij <i>le Chambellan</i> .   |
|  | Pocillator Limpurgensis, <i>l'Eschançon de Limpurg</i> .<br>Dapifer Valpurgensis: <i>le Truchsés de Valpurg</i> .   |
|  | Baro Papenhemius, <i>le Baron de Papenheim</i> , Sa-<br>xonis Vicarius.   |
|  | Comes <i>Hohen-Zolern</i> , Brandenburgici Vicarius.  |
|  | Imperator nihil potest suscipere magni momenti sine Comitiis  |